



De comparationibus Vergilianis.

Wissenschaftliche Abhandlung

des

Oberlehrer G. Kopetsch

für

das Michaelis-Programm

des

Königlichen Gymnasii zu Lyck

1879.

Lyck, 1879.

Druck von Rudolph Siebert.

1879. Progr. Nr. 11.

Department of Agriculture

Washington, D. C.

1917

De comparationibus Vergilianis.

De ingenio Vergilii poetae, deque virtutibus ejus et vitiis quid attinet dicere, quum satis sit scriptum? Quantum autem auctoritate valuerit apud Romanos ipsos, videri potest ex historia litterarum latinarum, quam scripsit W. S. Teuffel (1870) pag. 409, sq. Jam mature ejus carmina pueris in scholis ad legendum cognoscendumque proponi solebant ac multos nacta sunt, qui ipsa vel imitarentur vel interpretarentur; in his et doctrina et judicio eminent M. Valerius Probus et Maurus Servius Honoratus, grammatici. Nec fugit plurimum ea valuisse ad poesim Germanam. (Cholevius, Geschichte der deutschen Poesie nach ihren antiken Elementen I. (1854) pag. 101. ff.) Quamquam autem prope omnibus temporibus fuerunt, qui de Vergilii carminibus commentarentur, tamen multa ad commentandum relicta sunt. E multis rebus, quas ego plus semel Vergilium, maximeque ejus Aeneidem, legens notavi, notatas in ordinem redegi, primam disserendi causam sumpsit eam, quae pertinet ad comparationes Vergilianas, quum in clarissimis poesis latinae ornamentis numerentur. (W. Hertzberg, Einleitung zur Aeneide, pag. XIII.: „Die betreffenden Stellen (d. h. die Gleichnisse Vergils) gehören zu den schönsten Perlen der römischen Dichtkunst.“)

Ut ratione et via procedat oratio, primum paucis dicendum videtur de natura ac vi comparationis. Vere autem potest dici, eam in natura mentis humanae positam esse necessitateque plane et perspicue dicendi ignotaque vel obscuriora, quoad fieri potest, tanquam sub aspectum subjiciendi. Itaque comparationum usus est non solum in poesi, verum etiam in prosa oratione atque etiam in sermone vulgari et quotidiano. Apud poetas autem non modo intelligendi adjumenta sunt, sed etiam dicendi ornamenta, quibus legentium animi mirifice saepe delectantur.

De universa comparationum forma multa scripserunt jam veteres et plura ejus genera statuerunt (similitudines per brevitatem, per redditionem, alias) cf. Auct. ad Herenn. IV. § 59, sqq. et Quint. Inst. or. VIII. c. 3. Accurate autem de forma comparationum, quibus usus est Vergilius, scripsit Stan. Sobieski (Progr. von Lemberg. 1861. Vergil und Ovid nach ihren Gleichnissen u. s. w.) Quae quum ita sint, omissa quaestione de forma comparationum, propositum mihi est de rebus, unde Vergilius comparationes petivit, accuratius disserere.

Ac primum quidem dicendum est, duo apud Vergilium comparationum genera esse: unum earum, quae e contemplatione et cognitione naturae rerum prodierunt, alterum earum, quae doctrinae debentur, quod sumptae sunt e fabulis; aliter atque apud Homerum. (cf. W. Nitzsch, Beiträge zur Gesch. der epischen Poesie der Griechen. pag. 328, ff; Aristot. Topic. VIII, 1 extr.; Aristarch. in Schol. ad Iliad. XVI, 364.) In illo genere exstat atque apparet, maximam imaginum copiam manasse e contemplatione vitae bestiarum. Nec mirum est, multas earum poetam ad illustrandas hominum res et ingenia adhibuisse easdem, quas Homerum ceterosque poetas graecos.

Primo quidem loco ponendum videtur praeclarum illud exemplum, quo ab omni fera, sed summum in periculum ac discrimen vocata, imago ducta est: Aen. IX, 551—55:

ut fera, quae, densa venantum saepta corona,
 contra tela furit seseque haud nescia morti
 injicit et saltu supra venabula fertur,
 haud aliter juvenis (Helenor) medios moriturus in hostes
 inruit et qua tela videt densissima tendit.

Quibuscum comparentur Iliad. XII, 41, sqq.; XX, 164, sqq. (cf. Heyne ad Aen. IX, 551.)

Inter eas autem feras, quae certo nomine appellantur, primus nominetur leo qui, qua fortitudine et ferocitate est, maxime idoneus est ad illustrandam virtutem ac ferocitatem fortissimorum virorum. Aen. IX, 339, sqq. adumbratur furor, quo Euryalus in castris Turni magnum numerum Rutulorum trucidat, imagine leonis fame vexati. Huic similis, sed egregie variata comparatio invenitur Aen. X, 723—29, quacum comparanda sunt inprimis Iliad. XII, 299—301 et III, 23. Mezentius enim in densos hostes ruens confertur leoni, qui fame cruciatus ac diu silvam peragrans in capream fugacem vel cervum, quos forte conspexit, vehementissime insilit. Similis dicitur ferocia, qua Turnus (Aen. X, 454, sq.) cum Pallante, qui magnam hostium caedem fecerat, ut pedibus pugnet, de bigis desilit, ac leonis, qui, ubi „ab alta specula“ i. e. de summo monte taurum prospexit „meditantem in proelia“, ut praecclare ait poeta, advolat. His quidem locis subjungendus videtur is, qui in ultimo Aeneidis libro est v. 4, sqq., ubi Turnus adverso rerum eventu magis etiam quam ante irascitur, sicut leo accepto vulnere multo magis furit. Sumpta autem est haec comparatio ab Homero Iliad. V, 136, sqq.; XX, 164, quae in clarissimis ornatissimisque Homeri locis sunt. (cf. Heyne ad Aen. XII, 4.)

Postremo commemoretur, Vergilium etiam eam naturam leonis virtutemque notam habere, qua, quum multitudine venatorum circumventus summo in periculo versetur, territus ille quidem, sed ira incensus, lente se recipiat, vel, ut ait poeta, „asper, acerba tuens, retro redit“, eamque similitudinem ad Turnum transtulisse, qui, quum in munitionibus Trojanorum inclusus ab hostibus se defendere ac tueri non possit, iratus et semper se defendens ad Tiberim pedem referat. Aen. IX, 792—98.

Non plus una comparatio sumpta est a tigride, saevissima illa et crudelissima bestia, cui Turnus comparatur eo loco, quo Pandarus, porta munimentorum clausa

multos suorum exclusit, hostes, qui irruerant, inclusit, in his Turnum, „immanem veluti pecora inter inertia tigrim“. (Aen. IX, 730.) Ab Homero, quod sciam, nulla tigridis injecta est mentio.

Saepe numero luporum comparatione ad designandum furorem utuntur Vergilius et Homerus (cf. Heyne ad Aen. II, 355). Aen. II, 355, sqq. Vergilius Aeneam dicentem facit, se et socios similiter ac lupos, qui fame acti per atras nebulas praedam conquirant, nocte per tela et hostes vadere. Ornatissimo autem loco, Aen. IX, 59—66, cum lupo, qui fame cruciatus ad inclusas oves pervenit, sed caulis, quominus famem expleat, prohibitus, ira saevit, confertur Turnus, qui, quum ad castra Trojanorum oppugnanda cum paucis equitibus praecurrerit eaque clausa videat — jussu enim Aeneae Trojani intra moenia se continent — ira incensus fremit:

ac veluti pleno lupo insidiatus ovili
cum fremit ad caulas ventos perpessus et imbres
nocte super media; tuti sub matribus agni
balatum exercent; ille asper et improbus ira
saevit in absentes; collecta fatigat edendi
ex longo rabies et siccae sanguine fauces:
haud aliter Rutulo muros et castra tuenti
ignescunt irae; duris dolor ossibus ardet.

Neque vero poetam fugit, lupos nonnunquam ignavos esse et timidos, quum minus corporis viribus valeant, quam leo et tigris. Dicit enim Aen. XI, 809—815 Arruntem Camilla per dolum occisa perterritum ex oculis concessisse et agmini suorum se immiscuisse, ut lupo „occiso pastore magnove juvenco conscius audacis facti“ fugiens silvam petat.

Saepe etiam a tauris petita est comparatio apud Vergilium vel furoris vel clamoris declarandi causa. In ornatissimis autem comparationibus est ea, quae Aen. XII, 715—24 legitur, „facile illa cuivis obvia, ut ait Heyne ad h. l., sed tam splendide et magnifice vix a quopiam tractata,“ maximeque laudabilis propterea, quod singulae partes certaminis, quod inter duos tauros exarsit, ad certamen singulare, ad quod Aeneas et Turnus descenderunt, praeclare a poeta accommodatae sunt:

ac velut ingenti Sila summove Taburno,
cum duo conversis inimica in proelia tauri
fontibus incurrunt; pavidi cessere magistri;
stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencae,
quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur;
illi inter sese multa vi vulnera miscent,
cornuaque obnixi infigunt, et sanguine largo
colla armosque lavant; gemitu nemus omne remugit:
non aliter Tros Aeneas et Daunius heros
concurrunt clipeis; ingens fragor aethera complet.

Ceterum jam in Georg. III, 235—41 pugnam taurorum copiose tractavit poeta. — Alio loco, Aen. XII, 101—106, ira, qua incensus est Turnus ante certamen

singulare, quod ipsi cum Aenea instat, cum saevitia tauri comparatur qui „prima in proelia,“ ut ait poeta, „mugitus terrificos ciet atque irasci in cornua temptat.“

Nobilitato denique illo de Laocoonte loco, Aen. II, 223, sqq., magni clamores, quos Laocoon edit, quum ipse ejusque filii a duobus anguibus pressi mordentur, cum mugitu tauri, qui saucius aram fugit, conferuntur.

Ad designandam audaciam ac fortitudinem semel poeta aptissime apri similitudine usus est, Aen. X, 707—708. Ut enim aper a canibus de montibus actus, postquam inter retia venit, a venatoribus circumventus, subsistit et „impavidus partes cunctatur in omnes, Dentibus infrendens et tergo decutit hastas,“ ita Mezentius impavidus resistit pluribus Trojanis, quamvis ira incensi sint ob magnam suorum stragem. Locus exquisite ornatus, ut ait Heyne, quem jam Homerus tractaverat Iliad. XI, 414—19 tam praeclare, ut vix contendere cum eo quemquam audere debuisse dicas; Maro tamen plura ornamenta adjecit.

Equus nobilis quum clarissima sit imago ferociae et celeritatis, poetae hac imagine utebantur ad depingendam agendi alacritatem. Ut Aen. XI, 492 Turni alacritas, quum, concilio patrum dirempto, omnia, quae ad Laurentum defendendum opus sunt, parat, comparatur cum equo, qui abruptis vinculis praesepia fugit et arrectis cervicibus omni impetu per campum fertur.

Hoc loco addere convenit duo exempla a curriculo equorum sumpta. In Georg. I, 511—514 saevitia Martis — quo loco bellum civile describit poeta — adumbratur imagine quadrigarum, quae e carceribus emissae per spatium ruunt. Alterum exemplum invenitur illo loco, quo ludi describuntur patri ab Aenea prope tumulum instituti. Primum certamen a quattuor navibus est initum, quarum celeritatem poeta (Aen. V, 144—147) *ὑπερβολικῶς* majorem fuisse dicit ea celeritate, qua currus in certamine bijugo per campum volent:

non tam praecipites bijugo certamine campum
corripuere ruuntque effusi carcere currus;
nec sic immissis aurigae pendentia lora
concussere jugis pronique in verbera pendent.

Cervus, quum viribus minus valeat, at velocitate excellat, imaginem praebet celeritatis timidorum. Qua imagine Vergilius duobus locis perbene usus est: Aen. IV, 69 sqq. et XII, 748, sqq. Illo loco Dido, quae amore Aeneae flagrans per urbem vagatur, cum cerva confertur, quae a pastore transfixa cum sagitta per silvas errat; hoc loco Turnus, qui fracto ense Aeneam metuens huc illuc fugit, sed hic a Trojanis, illic magna palude et altis moenibus retinetur, comparatur cum cervo, qui flumine inclusus, persequentibus venatore et cane Umbro, „mille fugit refugitque vias,“ frustra exitum quaerens.

Enumeratis comparationibus, quae repetitae sunt ab indole quadrupedum, venio ad eas, quae sumptae sunt ab avibus. Adhibetur autem universum genus avium ad declarandam aut multitudinem aut volandi rationem. In Georg. IV, 471, sqq. quidem, ubi Orphei ad inferos descensus et magna vis cantus describuntur, Umbrae quoque Orphei cantu motae confluisse dicuntur, quot milia avium vesperi aut

effuso imbre in foliis arborum se occultare solent: „quam multa in foliis avium semilia condunt, Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber.“ — Paulum variata est comparatio in Aen. VI, 309, sqq., ubi poeta Aeneam dicit a Sibylla ad ripas Acherontis ductum tantam ibi Umbrarum multitudinem invenisse, quae manus tendentes ad Charontem, ut se trajiceret, etiam atque etiam orarent, quanta esset avium, quae hieme appetente in calidiores terras trans mare volarent:

quam multa in silvis autumnī frigore primo
lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus
trans pontum fugat et terris immittit apricis.

Quibus in versibus notabilis est comparatio duplex, frequentata illa a multis post Vergilium, et veteribus et recentibus; manavit autem ex Homeri carminibus, altera ex Od. IX, 51, sq., Iliad. II, 491—492 et 800; altera ex Iliad. III, 3, sqq. (cf. Heyne ad l. c.)

Aen. IV, 254, sq. autem Mercurius, qui a Jove jussus est Aeneam impellere, ut Didone relicta Italiam petat, volans a poeta dicitur „avi similis, quae circa litora, circum Piscosos scopulos humilis volat aequora juxta.“

Singularum avium, quae poetae comparandi materiam dederunt, primam dico aquilam, „Jovis armigerum.“ Quae quum et nobilissima et fortissima sit, perbene repraesentat virtutem et ferocitatem nobilissimorum virorum. Ejusmodi autem comparatio duobus locis invenitur: Aen. IX, 561—566 et XI, 751—758. Illo loco aquila a poeta describitur aut leporem aut cycnum aduncis pedibus arreptum tollens, ejusque rei simile dicitur, quod Turnus Lycum, qui in aggerem et murum escendere conatur, pendentem arripuit et cum magna parte muri revellit. — Altero loco, Aen. XI, 751—758, quantum in periculum ac discrimen res Trojanorum vocata sit per Camillam, pluribus exponitur. Tarchon suos, ut fortiter pugnent, adhortatus ipse equo concitato in medios hostes se immittit et Venulum de equo detrahit, detractum complectitur et magna vi aufert, non sine contentione. Ille enim omnibus viribus se defendit, ut draco ab aquila raptus et in aethera sublatus, qui „sinuosa volumina versat Arrectisque horret squamis et sibilat ore Arduus insurgens.“ Quae comparatio sumpta est ex Homeri Iliad. XII, 200—207; sed rem ornatam atque egregie variatam esse a Vergilio tum hoc, quod narrationem Homericam in comparisonem mutavit, tum eo, quod hic aquila vincit, apud Homerum vincitur, monuit jam Heyne ad Aen. XI, 751.

Sequitur, ut accipitrem, alteram avem rapacem, nominemus, unde similitudinem sumpsit Vergilius, sed non plus semel, — saepius Homerus. Ille eum Aen. XI, 718—724 columbam nunc persequentem, nunc consequentem et crudeliter necantem inducit, ut singulare illud Camillae factum illustretur, quae ab Auni filio per dolum adducta, ut de equo descendat pedibusque cum ipso pugnet, vehementer irata, quod equum ipsi abstulit, ablato avolavit, hostem perfidum persequitur, cursu superat, comprehensum necat.

Jam cycnorum mentio facienda est, quorum cum sonitu vel cantu in Aeneide a poeta comparantur hominum clamores vel cantus. Aen. VII, 698—702 incedunt Fescennini, Falisci, alii, Messapo duce, regem canentes:

ceu quondam nivei liquida inter nubila cyeni
cum sese e pastu referunt et longa canoros
dant per colla modos, sonat amnis et Asia longe
pulsa palus.

Quam comparisonem ex Homeri Iliad. II, 459—463: Τῶν δ', ἄς τ' ὀρνίθων πετεηῶν ἔθνεα πολλά, Χηνῶν ἢ γεράνων ἢ κύκνων δουλιχοδείρων, Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϊστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμενα περὶ γέσσω, Κλαγγηδὸν προκαθίζοντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμῶν — et Apollon. Rhod. IV, 1298—1300: ἢ ὅτε καλὰ γάοντος ἐπ' ὀφρύσι Πακτωλοῖο κύκνοι κινήσουσιν ἐὸν μέλος, ἀμφὶ δὲ λειμῶν Ἑρσῆεις βρέμεται, ποταμοῖό τε καλὰ ῥέεθρα — Vergilium, paucis de suo additis, adumbrasse, monuit Heyne.

Aen. XI, 454—458 varius dissensus Laurentium, quorum alteri bellum postulant, alteri detestantur, cum sonitu raucorum cycnorum comparatur, quorum catervae aut altos lucos aut „piscosum amnem Padusae,“ — quod fuit Padi ostium — implent. Non recte Houben: De comparationibus Vergil. pag. 8 (Progr. des Gymn. zu Düsseldorf 1876), qui libellus mihi oblatus est, quum jam maxima pars hujus dissertationis scripta erat — illud Vergilii (l. c.) „clamor dissensu vario magnus se tollit ad auras“ ad lamentationes referendum judicat, quas Laurentes tollunt, nuncio allato, Aeneam cum copiis appropinquare. Idem minus bene Aen. I, 397, sqq. citasse videtur, quod, si verum quaerimus, hoc loco non comparatio est, sed de augurio quattuor et viginti — non, ut Heyne et eum secutus Houben interpretantur, duodecim cycnorum agitur, (Vergilius enim non „bis sex,“ sed „bis senos“ dicit,) qui turbati ab aquila, postremo rursus in agmen compositi, sive longo ordine, terras et inde jam securi laetique coelum repetunt. (cf. Heyne ad h. l.) Quo augurio Venus Aeneam filium de calamitate, in quam tempestate coorta incidit, consolatur, quum naves dicat aut salvas esse aut mox salvas fore.

Restat, ut hoc loco adscribam, Vergilium in minoribus carminibus bis pulchritudinis comparisonem a forma et candore cycnorum sumpsisse, quum Eclog. VIII, 37. Galateam „candidiorem cycno“ et Cirim (v. 488) „formosiolem Amyclaeo ansere Ledae“ appellet.

Cycnis subjungendae videntur grues, quae, item solitudinis fugientes, gregatim in calidiores terras migrant. At non plus unum exemplum afferre possum e Vergilii carminibus: Aen. X, 264—266, quo loco laetitia et auctum studium, quibus imbuti sunt Trojani oppugnati, quum summo in periculo versantibus auxilium diu optatum appropinquet, — Aeneas enim ab Euandro cum classe triginta navium revertitur — a poeta confertur cum laetitia, quam grues Thraciae magno clangore et pennarum ictu expromere solent, quum ineunte vere e plaga australi ad ripas Strymonis, valde dilecti fluminis, redeunt: „quales sub nubibus atris Strymoniae dant signa grues atque aethera tranant Cum sonitu fugiuntque notos clamore secundo.“ Parum accurate hunc locum interpretatus est Houben l. c. pag. 7.

Ut ad minores aves transeamus, columba, quum notissima sit ejus timiditas, post Homerum, quem columbas *τρήρωνας* appellare nemo ignorat, saepenumero apud poetas timiditatis imago est. Apud Vergilium quidem Aeneas, quo loco Didoni excidium Trojae narrat, Hecubam ejusque filias, Graecorum irruptione perterritas, ad aram confugisse deorumque simulacra amplexas sedisse dicit, „praecipites atra ceu tempestate columbae.“ Aen. II, 515, sq. — Longior est comparatio ab eadem ave petita ad denotandam celeritatem, Aen. V, 213—219, ubi poeta cursum navis Mnesthei per apertum mare cum volatu columbae, quae volare incipiens magnum strepitum edit, tum ita quieta volat, ut vix alarum motus cernere videaris, ornatissime comparat. Hic non possum praetermittere, quae Heyne ad h. l. notavit: „Iliad. XXI, 494, 495 expressisse putatur; at quanto ornatius!“

Diversa ab hac celeritate est ea, quae hirundinis imagine adumbratur (Aen. XII, 473—480). Ut hirundo aedes divitis domini pervolat, escam conquirens „nidis loquacibus“ et nunc in porticibus vacuis, nunc circum stagna sonat: similiter Juturna, Turni soror, quae excusso auriga in currum fratris escendit, ipsa equos regens per hostes volat, ut prohibeat, quominus frater cum Aenea manus conserat. Neque vero celeritatem solum declarare vult poeta, sed etiam ostendere, subito ab inita pugnandi ratione discessum esse, id quod confirmatur subsequentiis verbis v. 481: Haud minus Aeneas tortos legit obvisus orbes.

Chorum claudat avium lusciniæ, multum illa a poetis prope omnium gentium ob flebilem suavissimamque vocem celebrata. Ac praeclare quidem apud Vergilium lugubres illi Orphei cantus, quibus Eurydicen iterum amissam „septem totos — ex ordine menses — ad Strymonis undam“ deflevisse perhibetur, lusciniæ amissos pullos querentis imagine illustrantur Georg. IV, 511—515:

qualis populea maerens Philomela sub umbra
amissos queritur fetus; quos durus arator
observans nido implumes detraxit: at illa
flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
integrat et maestis late loca questibus implet.

Fundum hujus comparationis nobilissimæ Heyne dicit esse apud Homerum Od. XIX, 518—524 et XVI, 216, sq.; hinc plures imitando expressisse, at neminem elegantius variasse et ornasse, quam Moschum IV, 21, sq., quem fortasse Virgilium ante oculos habuisse.

Sequantur nunc apes, quarum ex natura in unoquoque trium exemplorum aliud quid sumptum est ad comparandum. Aen. I, 430—436 apium sedulitas laudatur et cum ea industria, quam Tyrii praestant in condenda Carthagine, comparatur. Quod Heyne dicit ad l. c. praevisse Homerum Iliad. II, 87—90, verum est, hunc apium imagine usum esse; sed aliter usus est ac Vergilius, non, ut assiduitatem laboris, sed ut multitudinem Achivorum e navibus et tabernaculis ad concionem procedentium declararet. —

Altero loco, Aen. VI, 707—709, ut multitudo et fremitus accuratius explicentur innumerabilium animarum, quae circum amnem Lethaeum volant, ut „securos

latices et longa oblivia potent," poeta imagine usus est apium tempore aestivo cum murmure nunc inter flores volantium, nunc floribus insidentium:

ac velut in pratis ubi apes aestate serena
floribus insidunt variis et candida circum
lilia funduntur; strepit omnis murmure campus:

Quam ornatam et suavem comparisonem Heyne censet ab Apollonio Rhodio depromptam esse lib. I, 879, sqq. —

Postremo Aen. XII, 587—592 trepidatio apium, quas pastor ex latebroso pumice, in quo inclusas invenit, fumo pellere studet, cum discursatione ac trepidatione Laurentium, ubi Aeneam audiverunt urbem ipsorum expugnare velle, apte comparatur.

Vi ac significatione conjunctum primo eorum, quae modo prolata sunt, exemplorum est illud, quod unum reliquit Vergilius a formicis repetitum, Aen. IV, 402—407. Quo loco industria, qua a sociis Aeneae omnia, quae opus sunt, ut quam primum Africa relicta ad Italiam pervenire queant, parantur et perficiuntur, comparatione a formicarum sedulitate sumpta illustratur. Fuerunt autem, qui comparationem ab Apollon. Rhod. IV, 1452, sqq. acceptam, sed egregie ornatam, dignitate carere existimarent; nescio an propterea, quod cardinem comparationis non videbant in festinatione verti. In quo bene Servius: „ad studium respicit comparatio h. l., non ad personas.“ Tenendum autem est, a parvis nonnunquam rebus et animalibus exempla peti ab ipso Homero, ut a muscis Iliad. XXVI, 641, sqq., II, 469; apud Apollon. Rhod. a formicis et muscis IV. 1452, a pullis IV, 1298, aliis (cf. Heyne ad Aen. IV, 402 sqq.)

Quod superest in hac parte dissertationis, quae ad bestias pertinet, duae imagines proferendae sunt ex angue ductae. Aen. II, 469—475 non solum nitor armorum Pyrrhi, verum etiam illud „juveniliter exsultare,“ ut ita dicam, imagine illustratur colubri, qui, per hiemem sub frigida terra retentus, nunc sole verno excitatus, „positis novus exuviis nitidusque juventa“ se tollit „arduus ad solem et linguis micat ore trisulcis.“ — Aen. V, 271 autem Sergesti navis, quae, in scopulum illisa et vix multa arte revulsa, amissis remis debilitata est, pluribus versibus comparatur cum serpente, sive curru obtrito, sive a viatore vulnerato et mutilato: „Parte ferox ardensque oculis et sibila colla Arduus attollens; pars vulnere clauda retentat Nixantem nodis seque in sua membra plicantem.“ — Tertium exemplum, quod protulit Houben l. c. pag. 8, Aen. II, 379 sqq. non est hujus loci propterea, quod is, quocum Androgeos timore confertur, non serpens est, sed quicumque serpentem humi jacentem inopinans pede premit. —

Transeo ad arbores et flores. In illis nominantur quercus, cupressus, ornus, abies, pinus. — Quercus vetustae quum et magnitudine et robore insignes sint, omnibus, quibus notae sunt, pulcherrimam fortitudinis et constantiae imaginem praebet. Ut quercus valida et maximis radicibus terrae inhaerens vel maxima ventorum vi non eruitur, item Aeneas, quum ex Africa cedendum et Italiam petendam statuerit, nullis precibus movetur: „mens immota manet, lacrimae volvuntur

inanes.“ Aen. IV, 441 — 449. — Aen. IX, 679 — 683 autem Pandarus et Bitias, Aeneae socii, porta munitionum reclusa, armis solis freti, dextra laevaue pro turribus stare dicuntur „cristis capita alta corusci“ (κορυθαίοιοι), sicut geminae quercus, quae in Padi ripis vel propter „amoenum Athesim“ consurgunt — „intonsaque caelo Attollunt capita et sublimi vertice nutant.“ — In his interpretandis non satis diligens fuit Houben l. c. pag. 9, quum non tam in magnitudine, ut ille vult, quam in splendido vel „superbo,“ ut poetae ajunt, habitu comparationis cardo vertatur. Magnitudinem enim et proceritatem Pandari et Bitiae ante oculos poni vult poeta paulo ante v. 674, quum „abietibus juvenes patriis et montibus aequos“ dicat. — De superiore comparatione Heyne dicit Vergilium ingeniose usum esse loco Iliad. XII, 127, sqq. et respexisse duo Lapithas, Polypoeten et Leonteum, pro portis castrorum Achivorum stantes: ἔστασαν ὡς ὅτε δρύες οὐρεσιν ὑψικάρηνιοι, Αἶ τ' ἄνεμον μίμνουσι καὶ ἑστὸν ἤματα πάντα Ρίζησιν μεγάλῃσιν διηνεκέσσοδ' ἀραοῦναι.

Item cupressus semel denotandae magnitudini inservit: Aen. III, 679, quo loco ingentia Cycloporum corpora cum quercubus „aeriis“ et cyparissis „coniferis“ comparantur.

Ut autem arbores magnae et excelsae hominum admirationem habent, ita arbores caesae et magno cum sonitu procumbentes animos nostros vehementer percutiunt et maerorem quendam iis inferunt. Neque quidquam melius tristissimum casum magni viri vel ruinam urbis depingit, quam arboris magnae casus cum fragore. Itaque jam ab Homero Iliad. IV, 482 heros quidam occisus et humi procumbens cum populo caesa eleganter comparatur: ὁ δ' ἐν κονίῃσι χαμαὶ πέσεν, ἀγχιερός ἄς, — Τὴν μὲν θ' ἀρματοπηγὸς ἀνὴρ αἰθῶνι σιδήρῳ ἔξεταμ' — Ἡ μὲν τ' ἀζομένη κεῖται ποταμοῖο παρ' ὄχθας. — Item Vergilius Aen. II, 624—631 Trojam excisam aptissime comparat cum antiqua orno, quae, securibus accisa et tremefacta, tandem „congemit traxitque jugis avolsa ruinam.“ Similiter Entellus, in pugillatione ab Aenea patri mortuo instituta prolapsus, „gravis graviterque (cf. κεῖτο μέγας μεγαλωστί Iliad. XVI, 776) concidit,“ ut „radicibus eruta pinus.“ Aen. V, 448. —

Eleganter etiam floribus comparandi causa usus est Vergilius, et duobus quidem de tribus locis ita, ut tanquam flores spargat iis, qui fortissime pugnantes ceciderunt. In quo non possumus immemores esse pulcherrimi illius loci, quo poeta praematuram Marcelli, Octaviae filii, mortem luget, Aen. VI, 883, sqq: „heu, miserande puer, si qua fata aspera rumpas, Tu Marcellus eris. manibus, date, lilia plenis, Purpureos spargam flores animamque nepotis His saltem accumulem donis.“ — De noto flores spargendi more vide Kirchmann. de funeribus Rom. lib. I cap. 11. —

Aen. IX, 435, sqq. Euryalus, generosus ille Nisi amicus, adolescens fortissimus, a Volscente ferro transfossus, „volvitur leto“ — „inque humeros cervix collapsa recumbit:“
 purpureus veluti cum flos succisus aratro
 languescit moriens, lassove papavera collo
 demisere caput, pluvia cum forte gravantur.

Aen. XI, 67, sqq. Pallantem, fortissimum Euandri filium, occisum feretro vimine querno et virgis arbuteis contexto imponunt:

qualem virgineo demessum pollice florem
 seu mollis violae, seu languentis hyacinthi,
 cui neque fulgor adhuc, necdum sua forma recessit,
 non jam mater alit tellus viresque ministrat.

Lavinia, praesente Turno mentione facta nuptiarum, quas mater cum illo, non cum Aenea fieri vult, erubescit, et rubor, qui ori virginis suffunditur, a poeta colore illustratur, qualis esse solet, quum lilia alba multis rosis mixta videmus. Aen. XII, 68, sq.

Foliorum, quae auctumno ex arboribus decidunt, multitudinem ut saepe poetae post Homerum respexerunt, ita Vergilius illo loco, quem supra citavimus pag. 2, Aen. VI, 309, sq.

Hic adscribendum videtur unum exemplum, in quo infinita aristarum copia, quae „sole novo densae torrentur — aut Hermi campo aut Lyciae flaventibus arvis,“ multitudinem Latinorum, qui contra Aeneam congregantur, explicare vult poeta Aen. VII, 520, sq.

Una comparatio ducta est ex fructibus arboris. Discordia enim exorta de regina creanda tanta fit apium pugna in aethere alto, ut praecipites cadant et plures, quam concussa ilice glandes, Georg. IV, 80, sq.

Quoniam in disserendo eam ingressi sumus viam, ut a bestiis, quas ostendimus uberrimam poetae comparandi materiam praebuisse, profecti simus, nunc, priusquam de comparationibus a diis hominibusque petitis dicamus, naturae elementa, quae vocant, quaeque ad ea pertinent, quoad a Vergilio ad comparandum adhibita sunt, videntur persequenda.

Ac primum quidem de luce dicam. Quae quum hominibus carissima sit, Anna, ut amorem suum sorori testificetur, Didonem appellat: „o luce magis dilecta sorori,“ Aen. IV, 31.

A natura refulgentis luminis semel, Aen. VIII, 22, sumpta est praeclara comparatio. Aeneas enim, ubi vidit, multa et magna parari a Latinis ad bellum gerendum, suis viribus diffusus, „magno curarum fluctuat aestu,“ ut aquae splendor, sive lunae, sive solis radiis effectus, minimo motu „omnia pervolitat late loca — summiq; ferit laquearia tecti.“

Ignis natura in quattuor comparationibus expressa est. Ut ex dispersis incendiis, quae pastor in silva pascua excitavit, ventis coortis unum conflatur, ita Arcades, qui circa Pallantem erant, paulatim in unam aciem congregati sunt Aen. X, 405, sqq. — Ad eandem rem, hoc est, ad pastorum morem in silvis pascuis aestate incendia faciendi, ut nova herba crescat, pertinet Aen. XII, 521, sqq., ubi Aeneas et Turnus per acies ruere dicuntur hostes trucidantes: „velut immissi diversis partibus ignes Arentem in silvam et virgulta sonantia lauro.“ — Ut in stipulis nonnunquam „magnus sine viribus ignis“ est, ita in equo seniore vigor minutus est Georg. III, 97, sqq. — Apes denique tristi morbo languentes susurrant, „aestu ut clausis rapidus fornacibus ignis“ Georg. IV, 263.

Hic convenit comparationes quasdam a rebus caelestibus petitas persequi. Aen. III, 637 ingens Polyphemi oculus tantus esse dicitur, quantus sol est: „Phoebeae lampadis instar.“ Aen. VI, 453—455 suavem legimus comparationem Didonis ab Aenea aegre per umbram visae cum nova luna:

agnovitque per umbram
obscuram, qualem primo qui surgere mense
aut videt, aut vidisse putat per nubila lunam.

Quibus in versibus illud Apollonii Rhodii IV, 1477, sq.: Ἡρακλῆα — εἶσατο Λυγκεὺς τὼς ἰδέειν, ὧς τίς τε νέφ' ἐνὶ ἡματι μῆνην ἢ ἴδεν ἢ ἐδόκησεν ἐπαγλίουςαν ἰδέσθαι — imitando expressum esse, jam alii notarunt.

Pallas, Euandri filius, inter equites conspicuus est chlamyde et armis auro argentoque distinctis, ut Lucifer, stella Veneri dilectissima, Aen. VIII, 587, sqq.:

qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
extulit os sacrum caelo tenebrasque resolvit.

In quibus Vergilium Homerum secutum esse, multi dicunt, nec tamen locum afferunt, qui satis bene comparari possit, nam Iliad. VI, 6 de canicula agitur: ἀστὲρ ὀπωρινῆ (i. e. Σειρίω sive κνὶ Ὠρίωνος) ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα Λαμπρὸς παμφαίνησι λελουμένος Ὠκεανοῖο. De eadem stella sub vesperum orta Iliad. X, 317 est: οἶος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῆ Ἑσπερος, ὅς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἴσταται ἀστὴρ. cf. Heyne ad Aen. VIII, 587, sq.

Aeneas obstupefactis hostibus ab Euandro redit cum auxiliis, aucto armorum splendore, qui cum cometis et Sirio ardore confertur, Aen. X, 272, sq. — In miraculo illo, quod poeta finxit Aen. V, 525, sqq., sagitta, quae ab Aceste missa et longissime in altum evolans subito exardescit et paulo post evanescit, cum stellis cadentibus longosque crines ducentibus comparatur: „caelo ceu saepe refixa Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt,“

Saepenumero Vergilius ventos in comparationibus commemorat celeritatis designandae causa. Aen. VI, 702 Anchisae umbra amplexum filii effugit „par levibus ventis volucrique simillima somno.“ Eisdem verbis usus est poeta de Creusae umbra conjugis amplexum fugiente Aen. II, 794. — Simili modo equus tam celer, ut terram pedibus vix attingere videatur, confertur cum Aquilone spirare incipiente Georg. III, 195, sqq. Cleanthi navis diis marinis adjuvantibus, „Noto citius volucrique sagitta ad terram fugit“ Aen. V, 242, sq. — „Atri turbinis instar“ volat hasta Aeneae, qua Turnus occidit Aen. XII, 923. Cacus denique Herculem fugit „ocior Euro,“ „pedibus timor addidit alas“ Aen. XII, 923.

Nec solum celeritas, verum etiam vis et strepitus ventorum nomine significatur. Vis autem tempestatis eo magis referri potest ad pugnae vel certaminis ardorem, quod venti, qui ex diversis partibus spirant, tempestatem excitantes inter se certare videntur. Itaque dimicatio, quae oritur inter Aeneam ejusque socios armis caesorum Achivorum indutos et Trojanos, qui illos non agnoverunt, paulo post etiam inter Aeneam et Ajacem ejusque socios, cum certamine Zephyri, Noti, Euri praeclare comparatur Aen. II, 416, sqq.: „configunt Zephyrusque Notusque et laetus eois Euris

equis; stridunt silvae saevitque tridenti spumeus Nereus.“ — Accuratissime autem imago illa a ventis repetita ad declarandum pugnantium ardorem expressa est Aen. X, 356 sqq., quo loco Trojani et Latini conflixisse dicuntur:

magno discordes aethere venti
proelia ceu tollunt animis et viribus aequis;
non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit;
anceps pugna diu, stant obnixa omnia contra.

In quibus interpretandis Heyne dicit, comparisonem proeliantium cum ventis ab Homero frequentatam (v. c. Iliad. XVI, 765—771) et ab Ennio apud Macrob. XI, 2, a Vergilio ita ornatam esse, ut nihil praestabilius cogitari possit. —

Eadem imagine breviter adumbrata poeta Trojanorum agmina cedere conversasque acies effusa fuga ruere dicit, ut spirante Borea „fugam dant nubila caelo,“ Aen. XII, 365, sqq. — Strepitus significatur Georg. IV, 260, sq., quo loco apes morbis quibusdam conflictatae „tractim susurrare“ dicuntur, ut in silvis nonnunquam „frigidus Auster“ — et Aen. X, 97, sqq., ubi in concilio deorum dearumque a Jove convocato alii Junoni, alii Veneri assentiuntur attenuata voce, qualis fremitus esse solet venti in silva orientis et magnam tempestatem antecedentis; in fremendo autem, ut recte interpretatus est Thiel, omnis vis est hujus comparationis.

Quum varia sit aquae natura, vel in mari, fluminibus, stagnis, vel in usu hominum, abesse non potuit, quin Vergilius complures inde similitudines repeteret. Turnus quidem, ab Alecto face conjecta fixisque „sub pectore taedis“ ad bellum incensus, aestuat et furit, ut aqua fervefacta: „furit intus aquai Fumidus atque alte spumis exuberat amnis, Nec jam se capit unda, volat vapor ater ad auras.“ Aen. VII, 461, sqq. — Fundum hujus comparationis Heyne censet esse apud Homerum Iliad. XXI, 362—364, ubi de Xantho submissis Vulcani flammis ebulliente agitur; sed primum ornatu verborum superare Vergilium, tum vero etiam aliud comparatum idque elegantius substituisse, animum ira aestuantem. —

Aen. X, 603 Aeneas, „ductor Dardanius,“ in hostes saeviens multosque eorum trucidans „torrentis aquae more furens“ dicitur. Item illa saevitia, quam Achivi Troja capta ferro ignique expromunt, rapido torrenti confertur, qui laetas segetes ac silvas sternit et stabula armentaque secum trahit, Aen. II, 305, sqq. —

Fluminum natura varia et multiplex est ad comparationes. Ut a flexu incipiamus, quo fluminum amoenitas augetur, poeta Georg. I, 245 Anguem dicit „flexu sinuoso elabi — circum perque duas in morem fluminis Arctos.“ — Turnus, ut Junonis monitu opportunitate rei bene gerendae, quum Aeneas ad Euandrum profectus absit, utatur, copias in agris dispersas cogit, coactas et in ordines dispositas ad munitiones Trojanorum ducit. Diversae autem exercitus partes, ut hostes imparatos opprimant, silentio proficiscuntur: „ceu septem surgens sedatis amnibus altus Per tacitum Ganges“ Aen. IX, 30, sq. Quae sequuntur: „aut pingui flumine Nilus cum refluit campis et jam se condidit alveo“ referenda videntur ad id, quod supra diximus copias in agris palantes ab Aenea congregatas et dispositas esse.

Ut in exemplo, quod modo prolatum est, fluminis imagine sedati animi illustrantur, ita in eo, quod legitur Aen. XI. 296, sqq. perturbati. Venulus enim legatus ad Diomedem missus, ut auxilium petat, quum re infecta reverterit et, ab armis ut discedant, suadeat, magnum Latini perturbati murmur tollunt, quod comparatur cum sonitu fluminum rapidorum, quum saxa impedimentum et moram afferunt, „vicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis“.

Nec desunt apud Vergilium comparationes ex maris natura ductae. Bis clarissimum Homeri locum (Iliad. IV, 422, sqq.) imitatus: ὥς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολλῆ-
 χεῖ κῦμα θαλάσσης Ὀρνυτ' ἐπασσύντερον Ζεφύρου ὑποκινήσαντος Πόντῳ μὲν τε πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα Χέροσφ' ῥηγνύμενον μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δὲ τ' ἄκρας Κυρτὸν ἰὼν κορυφοῦται, ἀποπτύει δ' ἄλλος ἄχρη — uno loco, Aen. VII, 527, sqq., ubi magis magisque auctus rusticorum numerus, qui cervo ab Ascanio vulnerato ira incensi, signo bucina dato, raptis undique armis ex omnibus partibus creberrimi accurrunt, cum undis maris magis magisque se tollentibus comparatur, pressius rem tractavit et minus bene cum re comparata conjunxit:

fluctus uti primo coepit cum albescere vento,
 paulatim sese tollit mare et altius undas
 erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo.

Altero loco, Georg. III, 237, sqq., ubi taurus superatus, qui in locum remotum atque avium recessit, postquam vires omni cura exercuit, reffectis viribus „praeceps oblitum fertur in hostem“ i. e. in taurum adversarium, res magis est elaborata. — Aen. XI, 624, seqq. impetus et fuga Rutulorum, qui proelio equestri cum Trojanis conflixerunt, cum motu maris litus alluentis et alternis accedentis ac recedentis ornatissime componitur:

qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
 nunc ruit ad terram scopulosque superjacet unda
 spumeus extremamque sinu perfundit harenam;
 nunc rapidus retro atque aestu revoluta resorbens
 saxa fugit litusque vado labente relinquit.

Cui praeclarae et ornatissimae comparationi ex parte similem inveniri dicit Heyne apud Quintum Calabrum, at quod idem adscripsit, accedere hanc propius ad locum Homeri Iliad. XI, 305, sqq., ego quidem prope nihil similitudinis repperi. —

Multitudine fluctuum, qui tempestate excitantur, magnitudo copiarum contra Aeneam collectarum designatur Aen. VII, 717, sq. Item grando et imber multitudinem indicant Aen. V, 457, sq., IX, 668, sqq. Georg. IV, 80.

Restat in hac partedissertationis, ut de comparationibus a montibus et rupe sumptis dicam. Aeneas, ut imperatoria ejus forma ante oculos ponatur, cum Athone, Eryce, Apennino comparatur Aen. XII, 701, sqq. — Eandem ob causam Pandarus et Bitias juvenes montibus aequi dicuntur Aen. IX, 674.

Rupes autem imago est constantiae animi. Latinus quidem precibus Amatae uxoris et Turni moveri non potest, ut foedus cum Aenea factum violet, non aliter

ac rupes maris „circum latrantibus“ undis resistit. Aen. VII, 586, sqq. — Rupis in mare prodeuntis imagine, quae omnem vim ventorum ac fluctuum sustinet, explicatur constantia ac fortitudo Mezentii, qua omnes impetus Trojanorum sustinet Aen. X, 693, sqq. —

Aen. VI, 469 denique Dido iis, quae Aeneas sui purgandi causa apud inferos dicit, nihil movetur, „quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.“

Venio ad similitudines a diis repetitas. Sublimi illo loco et ornatissimo, Aen. VI, 781—787, ubi Anchises apud inferos filio Romulum futurum ostendit, Roma a poeta cum Cybele, deorum matre, comparata ad deos evehitur, ut felicissima tam magnae tamque divinae prolis mater. — Aen. I, 498—504 Dido a Vergilio ad templum incedens forma pulcherrima inducitur et cum Diana in Cyntho monte vel ad Eurotae ripas Nympharum choros ducente confertur:

qualis in Eurotae ripis aut per juga Cynthi
exercet Diana choros, quam mille secutae
hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram
fert humero gradiensque deas superminet omnes;
Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus.

In quibus admirabilis est ars poetica, quae quum in venustate compositionis, tum in eo cernitur, quod v. 503 expressus est effectus. Scilicet tenendum est, poetam rem ad exemplum Homeri Odys. VI, 101, sqq. et Apollonii Rhod. III, 875, sqq. II, 938 tractasse; at quanto simplicior Homerus! Similis Didonis cum Diana est Aeneae, qui catervam venandi causa congregatam instruit, cum Apolline festo die ad choros ducendos prodeunte comparatio Aen. IV, 143—150, quo loco pulchritudo ac decus juveniliter incedentis Aeneae exquisita doctrina illustratur. — Turnus, ubi Aeneam sagitta vulneratum ex acie cedentem et duces perturbatos vidit, spe subito erectus, cupiditate pugnandi ardet et curru per acies Trojanorum volitans multos aut curru proterit aut ferro sternit, Martis non dissimilis, qui apud „gelidum“ Hebrum i. e. in Thracia sanguine gaudens „clipeco intonat atque furentes Bella movens immittit equos, — gemit ultima pulsu Thraca pedum circumque atrae Formidinis ora Iraeque Insidiaeque, dei comitatus, aguntur.“ Aen. XII, 331, sqq.

Cum his optime conjunguntur comparationes a fabulosis viris repetitae. In Georg. IV, 170, sqq. poeta apium sedulitatem dicit, „si parva licet componere magnis,“ similem esse Cyclopum Jovi in Aetna fulmina fabricantium. — Catillus et Coras, illi Tiburis conditores (cf. Horat. carm. I, 18, 2), celeritate et acri impetu comparantur cum Centauris Aen. VII, 674—677: „ceu duo nubigenae cum vertice montis ab alto Descendunt Centauri, — dat euntibus ingens Silva locum et magno cedunt virgulta fragore.“ — Aeneas, Pallante occiso, saevit in hostes, ut Aegaeon sive Briareus, portentum illud centimanum, quod poeta hoc loco inter Gigantes Olympum oppugnantes videtur referre, Aen. X, 565—570. — Mezentius, Turni socius, furens et ingentem hastam concutiens tam magnus ante aciem Trojanorum ingreditur, quam magnus immanis ille Orion, ut in fabulis est, per mare incedens humeris ex aqua exstat Aen. X, 763—768.

Restat, ut de comparationibus ab hominibus sumptis exponamus. Ac non solum res humanae inter se conferuntur, verum etiam res a diis gestae cum eis, quae ab hominibus geruntur. Proteus quidem, deus marinus, in scopulo sedens inter phocas dormientes numerando eas percenset, tanquam pastor vitulos domum agens, Georg. IV, 433, sqq. Pertinet huc etiam praeclara illa comparatio, quae prima legitur in Aeneide (I, 148—156), insignis eo, quod ad illustrandum, quod in natura rerum accidit, imago petita est e vita hominum. Maris enim tumultus Neptuni prospectu sedatus comparatur cum populi seditione viri gravissimi adpectu compressa: „ac veluti magno in populo cum saepe coorta est Seditio saevitque animis ignobile volgus; — Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem Conspexere, silent; —

ille regit dictis animos et pectora mulcet:
 sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam
 prospiciens genitor caeloque invectus aperto
 flectit equos curruque volans dat lora secundo.

Hic mihi adscribere liceat, quae Heyne notavit: „Comparatio seditionis cum mari satis frequens est et ab Homero Iliad. II, 144—146 ducta; at hoc loco inverse maris tumultus cum seditione fit comparatio, cujus novam ac praeclare ornatum tractationem facile intelligas.“ —

Praeclare ornatus est etiam ille locus Aen. VIII, 407—415, ubi Vulcanus dicitur non segnior quam lanifica pauper, quae, ut vitam et suam et liberorum sustentet, de media nocte e strato surgit ad opus faciendum, illo tempore ad arma Aeneae, ut Veneri promisit, fabricanda aggredi.

Hominum facta inter se comparantur hisce locis: Aen. IV, 469—473 Dido somniis perterrita confertur cum Pentheo furente et Oreste a Furiis agitato. — Aen. V, 439—442 Dares pugil, ut is, qui urbem vel castellum oppugnat, nunc quiescit videns, qua parte adversarius plagae pateat, nunc varios facit impetus. — Nimia mihi videtur esse comparatio Didonis, ubi praesensit infidum Aeneae animum, per urbem, ut ait poeta, bacchantis i. e. discursantis cum Thyiade, Aen. IV, 300, sqq. — Ut agricolae et viatores, quum foeda tempestas cum grandine ac tonitribus caelo dejicitur, diffugiunt et quaerunt, ubi tuti sint a tempestate, ita Aeneas clipeo tectus „belli nubem“ (πολέμοιο νέφος), ut praeclare ait poeta, „dum detonet omnis, sustinet,“ i. e. bellantium impetum, ut bene interpretatur Servius, sustinet, dum defervescat, Aen. X, 803—810. —

